

Dieses Werk wurde Ihnen durch die Universitätsbibliothek Rostock zum Download bereitgestellt.

Für Fragen und Hinweise wenden Sie sich bitte an: digibib.ub@uni-rostock.de

Georg Christoph Detharding

**Programma Pentecostale, quo Rector Academiæ Rostochiensis, Georg.
Christophorvs Detharding, ... Validissimvm Spiritvs Sancti De Christo
Testimonivm, Pia Mente Meditandvm Sistit, & Cives Academicos ... hortatur**

Rostochii: Typis Joh. Jacobi Adleri, [1735?]

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn100401855X>

Druck Freier  Zugang





T. 512.

1735. Pfingsten.

~~A-1256. 233.~~

Fr. 1735

PROGRAMMA
PENTECOSTALE,
quo
RECTOR
ACADEMIAE ROSTOCHIENSIS,
GEORG. CHRISTOPHORVS
DETHARDING,
PHIL. ET MED. D. HVJVSQVE PROF.
DVCAL. P. O.
VALIDISSIMVM
SPIRITVS SANCTI
DE CHRISTO
TESTIMONIVM,
PIA MENTE MEDITANDVM SISTIT,
&
CIVES ACADEMICOS,

ut
praesens. Festum deuoto animo, sanctisque
moribus celebrent, pro officii ratione
grauiter ac sedulo hortatur.

ROSTOCHII,
Typis JOH. JACOBII ADLERİ, SERENISS, PRINCIPIS
& ACAD. Typographi.

M. 1256 233
1465 932



PROGRAMMA
PENTECOSTALIE
REGATOR
ACADEMIAE ROSTOCENSIS
GEORG CHRISTOPHORUS
DE GERMARIA
PHYSICO-MATHEMATICO-PRACTICO-
AGRICOLICO
VITRICIA
SPRUTZ
DE CHRISE
MUNIFICENTIA
PIA MELISSINOMEN SISTIT
CIVIS ACADEMICUS
BIBLIOTHECA FONDO LIBRARIA
MUNIFICENTIA
DE GERMARIA
TYPICUS



BB
MM
AA



Flagitant, Cives Optimi! partes officii
Rectoralis hodie, quando memoriam magni istius
beneficii, quo Christus a Patre misit Spiritum S.
suis Apostolis ad colligendam ipsi per orbem Ec-
clesiam, pia mente recolimus, ut vosmet illa, qua
decet gravitate compellem; partim, ut insigne istud benefi-
cium vobiscum digniter reputetis, partim vero, ut studium
omne vestrum in id collocetis, ne illa, quae Christus quo-
tidie in nos effundit, Spiritus sui charismata in cassum acci-
piatis, aut neglectui habeatis. In tanta autem materiae, siue
dogmaticae siue paræneticae, quae hoc scriptionis genere
tractari posset, vbertate, dubitaui ferme, quid mihi eslet
scribendum. Verum euoluenti protinus sacras paginas, pri-
mum se mihi obtulit ista Saluatoris nostri, abitum ex hoc
mundo parantis, & discipulos, quos per orbem mittere de-
creuerat, instruentis praedictio: Jo. XV. 26. *Quando venerit,*
inquit, paracitus, quem ego vobis missurus sum a Patre, Spiritus
veritatis, qui ex Patre exit, ille testabitur de me! Certe, si DEus
Pater Filium suum vnigenitum, humana non solum carne
vestitum, sed & in assumta humana natura contemtis-
simam serui formam præ se ferentem citra sufficiens de tanta
persona, in tanta exinanitione quasi dissimulata, testimonium
in orbem misisset; ecquis suspicari duntaxat potuisse, JE-
sum

A 2

sum

sum Nazarenum non esse solum Messiam, a tot inde seculis
desideratissimum, sed & ipsum Patri νυστον Filium DEI.
Præsertim, quum is Ecclesiae Judaicae Antistitibus adeo exo-
fus, & ab iis, euibrato in secus sentientes anathematis fulmi-
ne, obstinato consilio reiectus, quinimo a suo populo va-
riorum criminum postulatus, ad abiectissimam crucis mor-
tem traditus esset; qua de re non potuit non fama ad omnes,
maxime quoque disitas gentes propagari. Conuersione ita-
que tam Judaeorum, quam reliquarum gentium ad Chri-
stum, propagatione quoque Euangelii cum successu, diffici-
lius fere nihil concipi poterat. Sicut enim Christus *Judæis*
scandalum, ita *Ethnicis stultitia praedicabatur* I. Cor. I. 23. Quid
non subinde, sugerente velut ipso diabolo, effutiit Judaeus
apella nefandarum blasphemiarum, & criminationum, vt
benedicti nostri Saluatoris nomen omnibus populis redderet
suspectum & infestum. Nec ista malitia sine suo pessimo
frustrata fuit omnino. Quid enim aduersus aliquem plus
solet valere, quam sinistrum suorum popularium testimoni-
um, reprobansque iudicium propriae gentis per continuam
traditionem sibi constans? Cui satis speciosae Seruatoris no-
stri apud gentes obtestationi non parum ponderis addebat
putata nouitas doctrinae Christianae, & dogmata orbi inau-
dita, rationi αιναταιησα, omnem ab orbe adoratam sapienti-
am confundentia, immo funditus subruentia. Vnde Christi
confessores adeo mox Atheismi insimulabantur, mox Spiritu
vertiginis abrepti videbantur grandiloquis Philosophis; quo-
rum aliqui de Paulo, Christum praedicante, magno super-
cilio iudicabant, quod esset *spermologus* ein Lotterbube, Act.
XVII. 18. Proh! immortalem DEVVM, quanta vis requireba-
tur, quantum persuadendi pondus, totum mundum refor-
mandi, vetustissima auitae superstitionis præiudicia, quibus
tenaciora in mentibus hominum sunt nulla, conuellendi, &
homines eo perducendi, vt damnata antiqua sua consuetu-
dine, damnatis suis sacris, damnatis moribus, relictis fanis,
auro & argento radiantibus, relicta denique tota viuendi & sen-
tiendi ratione, nouam amplectenterunt religionem, alia sa-
cra, alios mores; data potissimum fide vniico aliqui JEsu Na-
zare-

zareno, nomini sibi haec tenus aut prorsus ignoto, aut satis ob-
scuro, aut sparsis de illo in vulgo pessimis fabulis, sibi su-
specto, de quo, e crucis patibulo fuisse suspensum, altus
rumor ferebat. Vim sibi inferre maximam videbatur, & sa-
nac mentis principia eiurare, qui sibi vellet persuadere, sa-
ludem mundi pendere ab homine suspenso, illumque, qui
inter maleficos relatus sit, a DEO non solum missum sospit-
atorem unicum, sed ipsum quoque adorandum Numen esse.
His ergo ita comparatis oportuit, ut JESUS Nazarenus irre-
fragabilia sua a Patre missionis, & quod Messias esset, nanci-
seretur testimonia, ex quibus a mundo cognosci & credi
posset: secus totum huius salutaris missionis, & magnum il-
lud redēptionis negotium sine fructu & vnu fuisse. Solent
mundi Reges publicas illas, quas ad gerenda publica nego-
tia mittunt, personas litteris munire fiducialibus, solent au-
thentica missionis contestatione necessariam iis conciliare fi-
dem, sine qua illi aut non sunt, qui sunt, aut sine successu
negotia molinuntur. Quum igitur Rex Regum suum ad nos
mitteret magnum internuntium, velletque, ut fides ei habe-
retur, hanc illi ipse fecit, de eius persona & missione abun-
de testando. Non multa edifferemus de isthac testimonio,
quod DEUS de CHristo perhibuit in vaticiniis veteris Testa-
menti, quorum exactissimum complementum in nativitate,
doctrina, operibus, integra vita, in ipsa denique passione,
morte & resurrectione Christi adeo manifestum & manibus
quasi palpandum erat, ut ipse Saluator ad hoc audacter pro-
uocaret, obstinatosque Judaeos allegaret. Joh. V. 39. 46.
Matth. XVI. 1. - 3. conf. Matth. XI. 4. 5. Non commemora-
bimus, quibus diuinis testimoniis stipata fuerit redēntoris
nōtri nativitas & infantia; nec quid diuini testimonii sub-
inde fuerit in sermonibus CHristi ad populum habitis, vim
in animos omnium, hostium quoque, conf. Marc. I. 22. Joh.
VII. 45. 46. prorsus insuperabilem spirantibus. Opera Chri-
sti miraculosa vere diuina, quae Nicodemum ad quaeren-
dum JESU consortium Joh. III. 2. quae totum populum, vt
vndique ad Christum confluueret, traxerunt, quae cagoda-
mone, flexis in obsecris genibus, ad confessionem gloriae

JESV coegerunt, quae tandem ab ipsis Christi hostibus noi-
potuerunt dissimulari Joh. XI. 47 quid fuere, nisi testimonia
Patris coelestis, de Christo Messia, quibus fides illi potuit de-
buitque parari in cordibus hominum. Quod argumentum
nervose persequitur Hugo Grotius *de Veritate Relig. Christ Lib.*
II. §. 3. Sane ipse dulcissimus Salvator ad opera sua in omni-
um sensus incurrentia, & quis esset, satis demonstrantia, plus
vice simplici pronocet, e. g. J. h. V. 36. Joh. X. 37. 38. Prae-
terimus illa de Christo testimonia, quae jam ultima patientem,
e cruce pendentem, moribundum, mortuum, contremiscen-
te velut tota rerum natura, orbi, quis esset reuelabant. Tanto
quidem successu, ut non modo omnis supplicium Christi ad
spectans populus pectora concutiens conuinceretur, verum
etiam centurioni ethnico illa confessio extorqueretur: *Vere fi-
lius DEI erat iste* Marc. XV. 39. Nec exponemus pluribus, quan-
tum DEVS Christo fidem fecerit suscitando illum e mortuis
adeo gloriose, vt, ne quid de tot JESV amicis dicam, quibus
per quadraginta dies viuus apparuit, ipsi hostes eius testes
rei essent, illamque non nisi refragante conscientia diffiteri
auderent. Ecquod autem luculentius Patris de Christo te-
stimonium, vt de eius persona & missione cunctis constaret,
exspectari potuit, quam trinum illud, sonora voce coelitus
factum. *Primum* videlicet audiebatur in *GeoQāvīa* Jordanica,
cum Christus baptismum acciperet a Joanne, praesente non
exigua populi Judaici, hominumque non infimae sortis con-
cione. Rupto enim coelo, distincta eaque clara vox elabeba-
tur: *Hic est filius meus dilectus*, in quo complacuit mibi, Matth. III.
17. *Secundum* audiebatur in monte Thabor discipulis IESU
Petro, Joanni, & Jacobo, ineffabilem glorificationem corpo-
ris Christi suis oculis usurpantibus. Vox enim pariter distin-
cta e nube emittebatur: *Hic est Filius meus dilectus*, in quo mihi
complacuit, ipsum audite! Matth. XVII. 5. *Tertium* auditum fuit
breui ante passionem Christi, quum stipante illum frequente
populo, & acclamante illud *Hosanna*, urbem Hierosolymam,
asino equitans ingrederetur. Vox enim coelitus detonuit: *Ego*
glorificavi illum, *Ego rursus glorificabo*. Quum etiam ex ingente
illo comitatu aliqui putarent, se nudum tonitru audisse, alii
vero

vero iudicarent, quod angelus quidam tanta voce cum Christo collocutus fuerit, ipse Christus perceptam iis vocem, & in quem finem facta sit, vberius exponebat. Lege Joh. XII. 28. - 32.

Cunctane, Cives O. ista Patris coelestis de Christo testimonia sufficiebant abunde ad conciliandam Christo fidem, ut de eius persona & missione nemo dubitare posset? Attamen celebrius adhuc Spiritus S. testimonium, de quo Christus ipse praedixit Joh. XV. 26, addendum putauit ineffabilis sapientia & misericordia DEI, in gratiam potissimum misericordum ethnicorum, cimmeriis ignorantiae tenebris hactenus omnino sepultorum. Ex his nimirum Christo erat colligenda Ecclesia, aperiundi erant coecorum oculi, oues extra caulam Ecclesiae Judaicae palantes aduocandae, *ut unus esset grex sub unico pastore.* Christus lux mundi, extra quem nulla salus, reuelandus erat ultra fines terrae Judaicae, ut nomen eius gloriosum fieret ab ortu usque ad occasum solis. Totus, quoique patebat orbis, ad cuius vastitatem relata terra Judaica punctulum videbatur, implendus erat fragrantia salutaris agnitionis Christi, & mittendi erant Apostoli in amplissimam messem per praedicationem euangelicam de Christo sospitatore, DEO maturandam. Inter tot ergo coecas idolatricasque gentes Christo & eius doctrinae fides erat concilianda. Id miro effectu egit Spiritus S. validissimo suo testimonio. Perhibuit illud decima post ascensionem in coelos, quinquagesima post resurrectionem Christi die. Peregit istud opportuno illo tempore, quo urbs Hierosolyma non Iudeis solum, sed hominibus quoque, qui ex omnibus orbis nationibus sub sole degentibus, illuc confluxerant, vid. Act. II. 9. - 11. supra fidem & modum repleta erat; ut nulla gens esset, ad quam non inauditae rei, quam quisque popularis suis oculis adspicerat, eodem fere tempore & facta velut inundatione, fama pertingeret. Ipsum vero Spiritus S. de Christo testimonium hoc erat: quod is effunderetur in discipulos, amicos & confessores Jesu crucifixi, eidem, quo ille, contemtui habitos. Latitabant isti sub timore & precibus, DEO non hominibus noti, foribus aedium viplurimum obseratis. Es

ecco

ecce repento aetate DEVS illos ita dignatur , vt innumerae
multitudinis oculi in illos solos conuerterentur. Sudo enim
coelo ingenis inexpectatae procellae susurrans oritur ver-
tigo , designans vnicam , qua contemti isti homines latita-
bant , templo fortassis aut contiguam aut vicinam domum , o-
mnesque inter media festi solemnia versantes mira attonita-
que nouitate illuc conuocans. Veniunt & vident , quid vero !
flammas ignis , visibile Spiritus Sancti symbolum , ardentes
super capitibus confessorum Christi. Vix id contemplati au-
diunt hos plebeios homines , nullam dicendi artem , nullam
sapientiam , nullam praeter vernacula linguam edoctos ,
diserte , apte , & cum maximo persuadendi pondere perorare
magnalia DEI , tot linguis , dialectibus & idiomatibus , quot
orbis scatet , diuersissimis. Tot sane tantaque stupenda spiri-
tui dona , isto metro , ista varietate , ista vbertate , nulla um-
quam aetas vidit in vnum quasi aceruum congesta. Omnis
Orationis , cui diuinum plane enthusiasmum subesse , mani-
bus veluti palpari poterat , scopus & centrum Christus erat ,
cuius facta diuinitus missio , cuius Deitas , officium mediato-
rium , resurrectio & sessio ad dextram DEI , cujus denique
meritum , ab omnibus , qui aeternum periire nollent , fide
adprehendendum , inuictissimis argumentis demonstrabatur ,
depraedicabatur , vindicabatur ; reserata mira facilitate & cer-
titudine tota Scriptura S. Veteris instrumenti. Incredibili
huic dono iuncta deprehendebantur : zelus diuinus ,
animus feruidus & prorsum intrepidus , sapientia omnino
magna , & motus Spiritus S. adeo extraordinarii , vt Spiritu
taetos istis temperare non posse , sibique ipsis haut relietos
esse , satis manifesto adpareret. Stupebant omnes indigenae
& peregrini spectatores auditoresque , quisque sua verna-
cula edocebat mysteria regni diuini & tanti momenti veri-
tates in quarum illico adsensem rapiebatur. Quo ma-
gis enim res inusitata & inaudita erat , eo fortius corda supe-
rabat , ut , quin prorsus divina operatio subesset , diffite etur
nemo : Nisi excipias quosdam , aut ob impia praeiudicia con-
fusos & haesitantes , aut ad insaniam usque malitiosos , ebrie-
tati tribuentes , quod omnes vires possibles aliquius luxuri-
antis

6232

riantis phantasiae millies excedit. At solet ita manuelle
diabolus insanire & criminari, quam locum concedere ve-
titati, in solis licet disco collocatae, qua honor DEI & sa-
lus hominum promoueri queunt. Petrus vero Apostolus
ex illa temeraria temulentiae infimulatione ansam captabat.
Ipecialius ad populum loquendi oratione, quae non mi-
nus JESUM Messiam demonstrabat, quam auditores ad
poenitentiam & fidem in eundem serio exhortabatur. Cui
etiam sparso in cordibus viuo semini DEUS ita benedice-
bat, ut illo ipso die ter mille animae ad Christum converte-
rentur; quem numerum quotidie mirum quantum auctum
fuisse, Lucas in Actis Apost. passim refert. Nisi ergo Chri-
stus esset Messias a DEO missus, quare quae in eius di-
scipulos DEUS effudisset sui Spiritus dona plane admiran-
da, cur tantam dicendi vim, tantam sapientiam, tantam
scripturas exacte interpretandi promptitudinem, totque alias
dotes copiosissimas, quae naturae viribus adquiri non pot-
erant, fuisse largitus? Cuius rei, quum oculati testes es-
sent omnium nationum homines, facta illorum, quae vi-
derant, & audiuerant, post redditum ad suos populares fi-
deli relatione, Christo & eius mox praedicando vberius
euangelio primam viam strauerunt, primam famam fi-
deinque fecerunt. Nec solo illo, quod in Apostolis Chri-
sti conspiciebatur, primo Pentecostes die, totum Spiritus
Sancti de Christo testimonium absolutum esse, censi debet.
Accessit enim illud, quod Seruator promiserat Marc.
XVI. 17. 18. donum miraculorum, facultas patrandi talia,
quae non humanis viribus, sed solius Numinis infiniti
efficacia fieri posse, a quo quis sanae mentis homine intelligi
decebant. Accessit, quod Apostoli per preces & manu-
um impositionem eamdem, quam ipsi acceperant, Spir-
itus Sancti visibili signo se effundentis, virtutem aliis mi-
ro effectu conciliarent, eosque, viros per eundem Spir-
itum aequae taumaturgos, efficerent. Quum ergo Apostoli
divina non modo efficacia Christum annunciant, verbi
quoque virtute corda vehementer occuparent, verum
etiam verbi veritatem stupendis miraculis subinde confir-
B
marent

ment, nonne vero id apertissimum Spiritus Sancti de Christo testimonium erat iudicandum? Adeo quoque, aures cordaque praedicato verbo studiose subtrahentes, miraculorum celebritate inuiti quasi ad audiendum trahebantur. Sensuali enim experientia de diuinitate & veritate miraculorum conuictis, nisi omnem rationem & conscientiam secum suffocassent, non poterant non suboriri cogitationes inuicem disceptantes: vtrum DEO cum hominibus stolidis, mendacia aut inania somnia loquentibus, adeo manifestum queat intercedere commercium, anne vertantis donis stipata doctrina, vt vt nemini sapientum haec tenus probata, vera & diuina credi debeat? Ultimum plusquam simile vero iudicantes, ipsa conscientia, ad audiendam sodes novam doctrinam, extimulati, auditu verbi traditaeque coelestis veritatis stimulos atque redundos intus sentiebant; donec Euangelium toto pectore amplectentur, eique serio poenitentes obedirent. Itane validissime de Christo per orbem testificatus fuit, & Christo magnam lateque patentem ecclesiam ex omnibus gentibus collegit Spiritus Sanctus!

Non autem possea desit Spiritus S. de Christo testari, verum inde à iactis Ecclesiae N. T. primis fundamentis usque ad hodiernum diem idem negotium peragit validissime. Evidet intra ecclesiam non opus est, ut Christo & doctrinae eius salutificaे miraculis, aliisque extraordinariis, quibus olim Apostolos & primi aevi doctores mactauit, donis fidem faciat. Veritatem vero coelestem puram conseruando, illam protegendo, illique victoriā largiendo contra cunctos, qui aut aperto marte, aut per cuniculos illam subruere moluntur, homines per verbum ad Christum vocando, conuincendo, convertendo & vera fide locupletando, dona administrantia ministri erogando, per verbum & sacramenta efficaciter operando, tot extra ecclesiam degentes quotidie ad christianum coetum perducendo, & ut paucis dicam, regnum Christi

JB 10 III

Christi aedificando ac extendendo; ecquid agit aliud;
quam quod ceu Spiritus Christi, de Christo infinite teste-
tur, hunc nimirum in finem, ut homines in unicum illum
sopitatem credant, & per fidem nanciscantur vitam
æternam.

Quae hactenus commentatus sum, O. Ciues! ad Vos
specialius pertinent, & in Vestros usus essent conuerten-
da; sed pagina scribendi finem imperante, multa dicenda
sunt paucis. Idem nempe Spiritus S. qui olim singulari-
licet ratione de Christo testatus est, & gentes ad Christum
vocauit, hodienum in verbo & sacramentis idem agit,
Christum revelat, nos ad illum vocat, imo fidem in nobis
operator, sine eius enim auxilio illum non possemus sa-
lutari effectu *adpollare Dominum*. Haec ergo Spiritus S. de
Christo testificatio vestra quoque pectora conuincat de ve-
ritate coelesti, muniatque contra quemuis Scepticismum,
Naturalismum, Atheismum, Epicureismum, omniaque cu-
iuscunque demum Pseudo-Philosophia venenata principia.
His enim temporibus ingruisse videtur hora temptationum ve-
nientium supra totum orbem Apoc. III. 10. Vana est omnis
scientia, quæ aut illi unica in Christo fundatae, per quam
saluamur, contradicit, aut quae tantum non a Spiritu S.
docetur & ob-signatur. O felices Vos! si eius apud vos
habetis testimonium i. Joh. V. 10. Sed nolite elidere aut
eludere istud, nolite incassum accipere dona eius sanctifi-
cancia. Date, hortor, operam, vt vita vestra demonstret,
vos quoque huius alni Spiritus factos esse participes, vt
sancta & intemerata vita Christo & eius euangelio pariter
testimonium perhibeatis.

Audite verbum Domini cum animi reuerentia, vt
& vestra corda igniculos flammulasque coelestes concipi-
ant. Cavete Vobis abs profanis istis in templo obambu-
lationibus, a rusticis, caput inter media sacra sine causa
stolidi & irreuerenter obtegendi, moribus. Nolite co-
mellari

messari ac inebriari dulci mero , spiritu potius impleami-
ni ! Nolite per plateas vociferari , & inconditis clamoribus
elegans studiosorum nomen usque prostituere . Celebrate
potius linguâ vestra magnalia DEI non satis celebranda .
Audiuntur de aliquibus vestri ordiniis varia , quae cum
elogio illo , quo vos in sua Oratione exaugurali nuper ornauit
M. D. Ex-Rector , haud quadrare videntur . Adeone ô mei !
vobis molestum est , ad virtutem laudibus extimulari ? vt
quod haud pridem factum , digladiationibus , & vigilum pro-
uocationibus (quas , quod non velitis tandem aliquando
nauseare , mirantur omnes honesti) in omnia contraria
mauelitis ire , quam bonam de vobis conceptam spem stu-
diose explore . Sane , si spiritus Christi in vobis habitat ,
aliter Vos geretis ! Quare ita contrastamini data quasi ope-
ra illum , qui tanta longanimitate animas vestras lucrari
laborat ? Emendate potius mores , renouate corda , &
tradite vos totos regimini Spiritus Sancti obsequio-
fissime ! Coronidis tandem loco habeatis meditationi ve-
lrae commendatum illud Apostoli : Rom. VIII . *Quotquot*
spiritu DEI aguntur , hi sunt filii DEI ! & istud ibid.

v. 10. *Si quis Spiritum Christi non habet , non*
est ipius ! Valete !

P. P. SVB SIGILLO RECTORALI
ACADEMICO ,
Feria I. Pentecostes.
Anno MDCCXXXV.





Universitäts
Bibliothek
Rostock

[http://purl.uni-rostock.de
/rosdok/ppn100401855X/phys_0015](http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn100401855X/phys_0015)

DFG



Universitäts
Bibliothek
Rostock

[http://purl.uni-rostock.de
/rosdok/ppn100401855X/phys_0016](http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn100401855X/phys_0016)

DFG

Christi aedificando ac extendendo; ecquid ag
quam quod ceu Spiritus Christi, de Christo infin
tur, hunc nimirum in finem, ut homines in vnicu
sospatatorem credant, & per fidem nanciscantur
eternam.

Quae haec tenus commentatus sum, O. Ciues! Specialius pertinent, & in Vestros usus essent corda; sed pagina scribendi finem imperante, multa sunt paucis. Idem nempe Spiritus S. qui olim sicut ratione de Christo testatus est, & gentes ad C vocauit, hodienum in verbo & sacramentis ide Christum revelat, nos ad illum vocat, imo fidem operatur, sine eius enim auxilio illum non posse lutari effectu *adpollare Dominum*. Haec ergo Spiritu Christo testificatio vestra quoque pectora conuincatitate coelesti, muniatque contra quemuis Sceptic Naturalismum, Atheismum, Epicureismum, omnia iuscunque demum Pseudo-Philosophia venenata per His enim temporibus ingruisse videtur hora tentationum supra totum orbem Apoc. III. 10. Vana est scientia, quae aut illi vnicar in Christo fundata, per saluamur, contradicit, aut quae tantum non a Spiritu docetur & ob-signatur. O felices Vos! si eius aperhabitis testimonium i. Joh. V. 10. Sed nolite elidere istud, nolite incassum accipere dona eius in cantia. Date, hortor, operam, ut vita vestra demovos quoque huius alni Spiritus factos esse participantia & intemerata vita Christo & eius euangelio testimonium perhibeatis.

Audite verbum Domini cum animi reuerentia & vestra corda igniculos flammulasque coelestes contineant. Cavete Vobis abs profanis istis in templo orationibus, a rusticis, caput inter media sacra similitudine & irreuerenter obtegendi, moribus. Non

